DOMINICI CERVLLI


IN

METROBII TITVLVM

PANDATARIAE INSVLAE JVR. DIC. PRAEFECTI

EXERCITATIO

IN HAC ALTERA EDITIONE CVRIS
POSTERIORIBVS AVCTIOR



NEAPOLI MDCCLXXV.
Apud Fratres Raymundos.



Opere *De Vasculis Hetruscis*, tamquam pretiosa gaza rem literarum publicam locupletasti, nunc, ut immortale aliud Opus *de Vulcanis* circa Neapolim, numeris omnibus absolutum aeternitati committeres, majora meditans, & (exemplo Clarissimorum Virorum, quibus loca ipsa, quorum mentio in suis occurrebat Voluminibus, perlustrare mos semper fuit) perscrutaturus maritimam nostri Crateris oram, proximasque insulas hisce ignitis gurgitibus antiquitus celeberrimas, mari Te committere inter hos dies decrevisti, periculis, incommodisque non levibus posthabitis, Tutemet oculis fidelibus illas pervestigaris, ut sic nihil sagacitatem Tuam effugeret, nihilque eo in Opere desideraretur. Quod sane Opus, cum vix Eruditi Viri a Te inchoatum audi-

divissent, difficile dictu est, quam avide nunc expetant, anhelentque: in eo enim quid impensius ipsi sint admiraturi ambigunt, typorumne nitorem, an tabularum versicolorum, atque in aes incisarum miram prorsus elegantiam; an potius (idque erit longe ceteris admirabilius) maximas ingenii Tui facultates, quas praeclarum illud Volumen complectetur: nec dubitandum, quin eorum expectationem non adaequaturus solum, verum etiam sit superaturus eventus.

Haec cum ita sint, Vir Eruditissime, dum Tu omnia hujus Crateris nostri loca praesens adibas, ecce *Pandatariam* pervenisti in Insulam, quae vetustis temporibus bene habitata, inde omnino destituta, tandem anno MDCCLXX. nova deducta Colonia Augustiss. REGIS N. pro-

providentia; & ad priſtinam redacta habitatorum frequentiam in grati ſui animi ſignum pretioſa Antiquitatis cimelia ex ſuis viſceribus effundit, quae omnia, ut ſunt Templi haud exigui rudera, Thermarum reliquiae, nec non depicti domuum parietes attente perluſtraſti: ſic enim Julius Caeſar vetuſtiſſimas Trojae reliquias, & celeberrima ejus Vrbis veſtigia obſervavit: ſic Germanicus Aegyptum *viſendae antiquitatis* ſtudio peragravit (*a*). At interea rumor ad Te pervenit μετρικου illius Tituli, *Metrobio* cuidam appoſiti, qui ſub Domitiani imperio eidem praefuit Inſulae, atque ingens Tibi eum perlegendi deſiderium exoritur. Ille nempe Titulus marmori inſcriptus, ruderibus per tot ſaecula conſepultus anno MDCCLXXI.

in

(a) *Tacit. Annal. II.* 59.

in apricum profiliit, & Neapolim transfvectus, in Regium Herculanense Museum fuit illatus duce, ac sequestre doctiss. Regio Consiliario SALVATORE CARVSIO, quem Tu probe nosti, ob inculpatam fidem, atque ingentem doctrinam Sac. Reg. Consilii Togam mature promeruisse. Hujus Inscriptionis exemplar statim ac in manus incidit meas, quippe qui ejus dignitatem sensi, ejusdem interpretationis laborem in me suscepi: operam dedi, levissimamque tunc ex praelo *Exercitationem* protuli, quae nunc, ut & Inscriptionem, & quae de ea commentari opus erat, insimul haberes, inter secundas curas, non parum amplificata typis recuditur, & AVSPICATISSIMO NOMINI TVO nuncupatur: erant enim plurima mihi jamdiu domi nata, quae adnectere oportebat.

bat . Tu opuſculum qualecumque ſit ea, qua ſolitus es, humanitate accipe, ſpecie quidem tenuiſſimum, ſed devoti in Te animi mei teſtem futurum locupletiſſimum, dum Tuo nixum patrocinio in publicum rurſus prodire non veretur. Vale, VIR NOBILISSIME, Teque Patriae Tuae, ac Literarum commodo diu ſerva. Neapoli V. Kalend. Octobris MDCCLXXV.

IN METROBII TITVLVM

PANDATARIAE INSVLAE JVR. DIC. PRAEFECTI

EXERCITATIO.



Vo hac florentiſſima in Vrbe tutiores, ac beatiores eſſe poſſent Cives, factum fuit ſumma ex providentia FERDINANDI IV. Regis N. Pii, Felicis, Aug., ut ſuperiore uſque ab anno ingens Proletariorum, atque aerumnoſa ceterorum hujus furfuris hominum copia *Pandatariam* in Inſulam ablegaretur (1), inter Pontiam, & Aenariam

quae

(1) Anno MDCCLXX. illuc fuit hæc Proletariorum natio ablegatione mulctata, poſt quam alia ejuſdem generis hominnm Colonia *Uſticam* in Inſulam anno MDCCLXVIII. fuit deducta: hanc vero Inſulam pares ac *Pandatariam* ſortitam fuiſſe vices mihi præſto eſt Doctiſſimus *Turremuzza* Princeps, qui in ſua *Sicular. Inſcript. Collectione* pag. 306. quemdam affert prægrandem, ac fiſtilem Diſcum litteris quibuſdam inſcriptum ibi menſe Septembri ejuſdem anni effoſſum, & haec poſtea ſubdit: *Uſtica Inſula, ad quam monumentum ſpectat fuit olim ab antiquiſſimis temporibus incolis frequentata, quemadmodum ex quamplurimis antiquitatum veſtigiis, ſepulchris, aliiſque monumentis eruditiſſime demonſtravit Andreas Pigondti in ejuſdem Inſulae Topographia . . . at inde (quo tamen tempore incer*

quae eſt ſita , & vulgò hodie ſonat *Ventotiene*, quae jam noſtra tempeſtate pene erat inhoſpita, atque omnino inculta , haud tamen priſcis temporibus, in quibus ſat frequentem fuiſſe conſtanter apparet ex litterato Marmore inibi, hac ablegationis occaſione , forte fortuna proximo jam elapſo menſe detecto (2) , de quo cum multa ab eruditis viris praedicentur, & circa genuinam ejus explicationem diſcordantes multi in varias abeant opiniones : parvulas ideo nos quoque in medium proferre elucubrationes putavimus, utpote qui in Sanctiorem Legum ſcientiam intenti, numquam ab antiquorum Marmorum ſtudio abhorruimus , quae ad exactam Romanae Juriſprudentiae intelligentiam ſummopere conferre nemo quidem ignorat . Harum elucubrationum cum hunc intexuerimus Commentariolum, aequis nunc tradimus Cenſoribus , qui ſciant in primis rogatos volumus, cum a nobis concinnatum, non ad inanem quaerendam in muſtaceo laureolam, verum ad noſmetipſos magis meliora edocendos.

II. Continet Marmor ſepulchralem Metrobii cujuſdam ejus Inſulae juridicundo Praefecti inſcriptionem, quam Lectores ad caracterum fidem exſcriptam hic accipiunt.

certum eſt) habitatoribus deſtituta diu plurium ſaeculorum ſpatio inhoſpita fuit , & deſerta ; nuper vero Clementiſſimi Regis noſtri FERDINANDI *IV. providentia nova deducta Colonia, eaque vallis, munitionibus, militumque praeſidio tuta reddita , ſat commodum in mare illud adnavigantibus praebet hoſpitium.*

(2) h. e. menſe Junio anni MDCCLXXI.

RELIQVIAE CINERIS TVMVLO MANDATA QVIESCVNT

AVG · LIB · SACRO · HOC · TIBI METROBIE

HVIC · NON · DVRA · COLV · CLOTHO · DECREVIT · IN · ANNIS

TER · DECIES · QVINOS · DEGERE · QVEM VOLVIT

PRAEFVIT · HIC · LONGVM · TIBI · PANDOTIRA PER · AEVOM

PROVIDAQVE · IN MELIVS · IVRA · DEDIT · POPVLO

PLENA · BONO · MENS · AEQVA · FVIT · NON · ASPERA · LINGVA

INCVLPATA · FIDES · INNOCVVSQVE · PVDOR

NVLLVS · FVLGOREM · VALVIT · DECERPERE · LIVOR

CONSTIT · AD FINEM · VLTIMAQVE · HORA · NITOR

TE · TVA · NATORVM · DEFLET · PIA TVRBA · TVORVM

CONSESSVQVE · PARI · TVRBA · PIATA · GEMIT

ESSE · TIBI · CREDAS OMNES · DE · MORE · PARENTES

VSQVE · ADEO · AEQVALIS · MOEROR · IN · ORA · FVIT

EMINET · IN · LVCTVS · PRIMA · OMNIVM · IVLIA · CONIVX

PER · QVEM · SI · FAS · EST · VIVIS · IN · ELYSIVM

[illegible] FLAVIO BASSO COS

III. Qua in Inſcriptione cum varia occurrant Scalptoris & Auctoris σφαλματα, non admodum vero in ceteris Marmoribus inſolentia, conſulto nos ideo, quae ad explicationem conferunt, peculiaribus ſuis locis erimus demonſtraturi; alia vero, utpote in lapidaria re quam maxime obvia, eruditis Lectoribus, ne longius eos in quiſquiliis ſatis vulgaribus remoremur, conſideranda relinquimus. At antequam ad illam penitius accedamus, in ipſo neceſſe erit limine, ut quinam ejus Inſulae ſitus, & quae fuerit apud Veteres aperiamus (3). Primo ſeſe obſervandum praebet, eam vario modo apud priſcos Auctores fuiſſe appellatam, & revera Πανδαρια apud Strabonem dicta invenitur, quam tamen lectionem in mendo cubare obſervavit Fredenandus Nonius Pintianus in adnotat. ad Pompon. Melam (4), qui Πανδατάρια legi debere ſuſpicatur (5). Apud Ptolemaeum vero Πανδατωρια, quam vocem corruptionem redolere ipſe advertit Cellarius. Apud Melam poſtea vocatur *Pandateria*, quo nomine et-

(3). Ad ejus originem quod attinet, videnda quae mox dabit doctiſs. Eques HAMILTONIVS in ſuo praeclariſſimo Opere *De Vulcanis*. Is enim. qui tam cernit acutum, Inſulam iſtam ex ignivomo quodam gurgite olim exortam fuiſſe haud levibus judiciis ex intimo ſcientiarum penu depromptis ſolide evincet.

(4) Lib. II. C. 7.

(5) Sic correxit etiam Xylander in Strabonis Amſtæ. lodamenſi editione apud Wolterſ. quod inibi idem animadvertit.

etiam appellavit Tacitus: apud Stephanum denique Παυλατερια, dum in suo Lexic. haec scripsit: Παυλατερια νητος εν η εξωριτεν Αγριππιναν την γυναῖκα Τιβεριος Νερων. Το εθνικον Παυλατερινος, και Παυλατεριανος. h. e. *Panlateria insula, in quam Tiberius Nero uxorem Agrippinam relegavit. Gentile Panlaterinus, & Panlaterianus.* Quamvis Holstenius ob mutationem Δ in Λ pro Πανδατερια dictum suspicatur (6). Usitatius tamen nomen habuit *Pandataria*, ut Svetonius, Plinius, Varro (7) aliique appellarunt, quos sequuti sunt recentes omnes Auctores, ut Salmasius, ceterique. Inter tot tamen variantia nomina nunquam apud Auctores dicta invenitur *Pandotira*, uti in nostro hoc Marmore, quod, qua ratione, quove modo factum, nos inferius aperiemus.

IV. Nunc maxime huc pertinet quod Clariss. Auctor *Delle Antiche Colonie venute in Napoli &c.* Tom. I. p. 31. de *Pandataria*, & *Pontia* innuit, no-

(6) Idem Holstenius hoc in loco Stephanum in Historia Romana imperitissimum arguit, cum Tiberius non uxorem, sed Nurum in hanc Insulam relegasset, ut ex ceteris Historicis arguitur, at postea Gronovius in suis *var. Lectionib.* miratur cur tam licenter hic insultetur Stephani ignorantiae, medicasque ipse apponens manus, vocem τε Γερμανικε post Αγριππινω excidide suspicatur, cum revera *Germanici* uxor fuisset Agrippina.

(7) Lib. III. de R. R. scripsit laudatus Auctor: *Hoc ita fieri apparet in Insulis propinquis, Pontia, Palmaria, Pandataria.* Loquitur nempe de Avium peregrinarum adventu, quae trans mare quotannis in Italiam advolantes illuc conveniunt, & requiescendi causa dies aliquot morantur.

novum ex Strabone nomen ſibi confingens, ac veluti per vim binis hiſce Inſulis imponens: Ipſe enim ut evinceret, Circen quondam *Pontiae* inſulam incoluiſſe, hac illac argumenta corradit, & illius Geographi auctoritatem profert, qui lib.IX. dum de Achaja, & praeſertim de Salamina loquitur, ait: Ενταυθα δε και Φαρμακȣσαι δυο νησια, ων εν τω μειζονι Κιρκης ταφος δεικνυται. *Ubi* (h. e. apud Salaminam) *& duo parvae ſunt inſulae PHARMACUSAE, in quarum majore oſtenditur ſepulchrum Circes*. Haec Graecus ille Geographus, & ex ejus verbis ſic Laudatus Auctor §. 46. conjectatur: *Egli* (nempe Strabo) *dice, che erano due l' iſole, e che nella più grande ſi ſtava la Maga, ed avanti Gaeta altrettante ve ne ſono, e la maggiore è* Ponza, *e la minore s' appella* Pandataria*: giova molto chiamarſi PHARMACUSAE, perchè il meſtiere di tal ſemmina ſi era. raccorre peſtilenti erbe, e velenoſe, e comporne* φαρμακα, *pharmaca*. Quia igitur in majore ex duabus inſulis, *Pharmacuſarum* nomine appellatis, oſtendebatur ſepulchrum Circes, id in cauſſa fuit, cur Noſter accuratiſſimus Coloniarum Deductor, cum in Cajetano ſinu binas alias conſpexiſſet inſulas, *Pandatariam* nempe, & *Pontiam*, in harum majore Veneficae illius Mulieris Sepulchrum ſtatueret, & utraſque inſulas *Pharmacuſas* eſſe appellandas exiſtimaret; quamquis Strabo Atticum, haud vero Cajetanum ſinum tunc deſcriberet. Habes argu-

gumentum nullibi certe antea, nisi in Auctoris Nostri Officina conflatum, ideoque ipse ceterorum Auctorum oscitatiam exprobrans, sibi plaudens, haec subdit: *E farà maraviglia ad udirsi, che tanti savj moderni nè illustrarono, nè fu loro di alcun uso questo sì opportuno luogo di Strabone.* Nos, ne egregii Scriptoris gloriam deturpare videamur, ejus hariolationibus ne verbum quidem opponimus, eo vel maxime, quod instituti ratio non patitur illa expromere argumenta, quae mole ruunt sua.

V. Nunc, ut ad rem nostram redeamus, Insulae situm ex Geographis, tum antiquis, tum recentibus demonstrandum; & primo consulendus ipse Strabo, qui de Insula ita mentionem facit *lib. II.* haud vero *lib. IX.* Νησοι δε εισιν εν μεν τη παραλια τη κατα το Τυρρηνικον πελαγος μεχρι της Λιγυστικης συχναι μεγισαι δε Σαρδω και Κυρνος μετα γε την Σικελιαν αυτη δε και των αλλων εσι μεγιση των καθ' ημας και αριση. Πολυ δε τουτων λειπομεναι, πελαγιαι μεν ΠΑΝΔΑΤΑΡΙΑ τε και Ποντια προσγειοι δε, Αιθαλια τε και Πλανασια (και Ιλυα) και Πιθηκουσαι, και Προχυτη; και Καπρεαι, και Λευκασια, και αλλαι μικραι. H. e. *Insulae ejus sunt in ora quidem Tyrrheni maris ad Liguriam usque crebrae, inter quas Sardinia, & Cirnus (sive eam Corsicam mavis dicere) maximae post Siciliam: hæc enim reliquarum nostrarum omnium, & maxima est, & optima: Multo his minores in alto PANDATA-*

RIA

mus, inter quos Dio primus testatur, Augustum anno ab V. C. DCCLII. eo Iuliam, filiam in adulterio deprehensam relegasse, his verbis lib. LV. Τότε δ' ουν (μαθων τα πραττομενα) τοσουτω θυμω εχρησατο, ωστε μηδ' οικοι αυτον καταχειν, αλλα και τη γερουσια κοινωσαι. και τουτου εκεινη μεν ες ΠΑΝΔΑΤΕΡΙΑΝ την προς Καμπανια νησον υπερωρισθη, και αυτη, και η Σκριβωνια η μητηρ εκουσα συνεξεπλευσε. h.e. *Tunc autem (re cognita) adeo immodica ira correptus* (Augustus), *ut eam domi suae non continuerit, sed cum Senatu etiam communicaverit. Itaque Julia in PANDATERIAM, quae est sita in Campania, insula, relegata est, & cum ea ultro Scribonia Mater abiit* (9). Et Dioni consentaneus

(9) Relegatione in Insulam tunc temporis simplex puniebatur Adulterium: ex Lege enim Julia de *Adulteriis coercendis* sic cautum legitur: *Qui Stuprum Adulterium sciens dolo malo fecerit, in Insulam relegator.* Et hanc legem, licet JCtorum plerique anno V.C. DCCXXXVII. ab Augusto latam existiment; vero tamen haud absimile videtur clariss. Bernardi de Ferrante opinamentum in sua Juris Romani Historia cap. IV. §. 204. n. D. asserentis, Augustum ex occasione Adulterii Iuliae ejus filiae, quam anno DCCLII. in Pandatariae Insulam relegavit, hanc de Adulteriis legem, eodem anno tulisse: *De adulterio*, & *stupro* (ille scripsit) *ob foedam libidinem Juliae ejus filiae, quam demum relegavit in PANDATARIAM Insulam, legem hanc sanxit Augustus in adulteros non solum, sed in eos, qui opem, consilium que prebuerunt*. Et ipse Imperator ex ejusdem legis dispositione anno V. C. DCCLXX. aliam Iuliam Neptem *convictam adulterii damnaverat, projeceratque in Insulam Trimerum, haud procul Apulis littoribus. Illic viginti annis exilium tolleravit*, ut Tacitus *Annal. lib. IV.* testatur. At postea Principes successores in Adulteros severiores leges tulere, quas in Corpore Iuris Romani nunc relatas habemus.

Tacitus *Annal.* 1. *c.* 53. ſcripſit : *Eodem anno* (ſcilicet ab V. C. DCCLXVIII.) *Julia ſupremum diem obiit , ob impudicitiam olim a Patre Auguſto PANDATERIA inſula , mox* (10) *oppido Rheginorum , qui ſiculum fretum accolunt , clauſa .* Praeterea Auguſti ſucceſſor Tiberius in eamdem Inſulam Nurum Agrippinam poſt Viri obitum exilio mulctavit , ut ex Svetonio his verbis habemus (11) : *Nurum Agrippinam . . . . PANDATARIAM relegavit* , quae cum ibi inedia periiſſet, ut apud eumdem legitur (12) , Caligula *confeſtim PANDATARIAM , & Pontias ad transferendos Matris , Fratriſque* (13) *cineres feſtinavit tempeſtate turbida , quo magis pietas emineret . Nec minore ſcena Oſtiam , praefixo in biremis puppe vexillo , & inde Romam Tiberi ſubvectos per ſplendidiſſimum quemque Equeſtris Ordinis media , ac frequenti die duobus ferculis Mauſuleo intulit* Huc uſque Svetonius , & Inſcriptio Mauſuleo appoſita hodie adhuc viſitur Romae , quam aequi bonique ferant Lectores credimus , ſi hic adponamus . Os-

(10) H. e. poſt quinquennium, ut ex Sveton. in *Aug. c.*65. Populus nempe Rom. pluries , ut ab ea Inſula Filiam revocaret, Auguſtum rogavit ; at ille lenioribus tandem conditionibus in continentem tranſtulit ; nec ut omnino revocaret , exorari ullo modo potuit .

(11) *In Tiber. Cap.* 53.

(12) Sveton. *in Caligul. cap.* 15.

(13) Neronis ſcilicet, quem in Pontiae inſulam relegatum , & ad voluntariam mortem coactum fuiſſe refert idem Sveton. in *Tiber.* cap. 54. , cum ei carnifex , quaſi ex Senatus auctoritate miſſus laqueos , & uncos oſtentaret.

OSSA
AGRIPPINAE . M. AGRIPPAE . F.
DIVI . AVG. NEPTIS . VXORIS
GERMANICI . CAESARIS
MATRIS . C. CAESARIS . AVG
GERMANICI . PRINCIPIS

Et Nero Vxoris consuetudinem aspernatus, eo etiam Octaviam relegavit, ut superius laudatus Annalium Scriptor lib.XIV. c.63. his verbis testatur: *At Nero in spem sociandae Classis corruptum, & incusatae paullo ante sterilitatis oblitus, abacto partu conscientia libidinum, eaque sibi comperta, edicto memorat, insulaque PANDATERIA Octaviam claudit. Meminerant adbuc quidam Agrippinae a Tiberio pulsae.* Et facile hinc patet error Tragaedi illius Pseudo-Senecae, ut ad hunc Taciti locum advertit Lipsius, qui Octaviam in AEgyptum relegatam fuisse commemorat in *Octav.* (14), ubi illam sic adloquentem inducit:

Armate ratem, date vela fretis,
Ventisque, petat puppis Rector
Tandem PHARIAE littora terrae.

Nisi mavis cum ipso Lipsio legere

PANDATARIAE littora terrae.

Sicuti revera est in alia editione Gronoviens., *qua emendatione*, utpote historiae consentanea, ut Gru-

C 2 te-

(14) Act.V.Scen.ult. v.969.

teri verbis utar, *nihil eſt verius*.

VII. Eamdem quoque in Inſulam ab Domitiano anno P. C. N. LXXXV. relegatione damnatam fuiſſe Domitillam teſtatur Xiphilinus in Dionis Epitome, cujus haec ſunt verba: Καν τω αυτω ετει αλλοις τε πολλοις και Φαβιον Κλημεντα υπα τευοντα, και περ αυεψιον οντα, και γοικα, και αυτὴν συγτενη εαυτȣ Φλαβιαν Δομιτιλλαν εχοντα, κατεσφαζεν ο Δομιτιανος. επηνεχθη δε αμφοιν εγκλημα αθεοτητος. υυ ης και αλλοι ες τα των Ιουδαιων ηθη λοκελλοντες πολλοι κατεδικασθησαν και οι μεν, απεθανον, δε τον γιω ουσιων εσιρηθησαν. η δε Δομιτιλλα υπερωριτθη μονον εις ΠΑΝDATEPIAN. i. e. *Eodem anno Domitianus, cum alios multos, tum etiam Fabium Clementem Conſulem (etſi patruelis ejus erat, & Flaviam Domitillam Domitiani conſanguineam uxorem habebat) morte affecit, illato ambobus crimine impietatis. Cujus rei cauſſa multi, qui in mores Iudaeorum tranſierant, damnati ſunt, quorum pars occiſa eſt, pars ſpoliata facultatibus. Domitilla tantummodo in PANDATARIAM ablegata eſt*. At ne confundas rogo hanc Flaviam Domitillam Flavii Clementis uxorem, & Domitiani neptem cum alia ejuſdem Flavii ex ſorore nepte, quae poſtea eadem de cauſa an. Chr. XCVIII. ut tradit Baronius, in inſulam Pontiam fuit extruſa, qua de loquitur Euſebius in ſuis Chronicis lib. II.: Πολλοι χριςιανῶν εμαρτυρησαν κατα Δομιτιανὸν, ως ο Βρȣτιος ιςορεῖ, εν οις και φλαβια Δομε-

μετιλλρ, ε ξαδελφη Κλήμεντος Φλαβίυ τωατιχυ, ως χριςιανή είν νῆτον Ποντιαν φυγαδδεται. Chronologi verba ita vertit Divus Hieronymus: *Scribit Brutius, plurimos Christianorum sub Domitiano fecisse martyrium: inter quos, & Flaviam Domitillam, Flavii Clementis Consulis ex sorore neptem, in insulam Pontiam relegatam, quia se Christianam testata sit* (15). Hujus extat mentio in Marmore apud Grut. p. CCXLV. n. 5., quod hic abs re non erit apponere.

FLA-

(15) Idem D. Hieronymus Epist. 27., quum de Paula loquitur, Roma Hierosolymam navigante, haec scribit: *Delata ad Insulam Pontiam, quam clarissimae quondam foeminarum sub Domitiano Principe pro Confessione nominis Christiani Flaviae Domitillae nobilitavit exilium.* Atque e re nata, illud nunc scriptum nollem a cl. V. *Julio Laurentio Selvaggio*, mihi dum in vivis agebat, amicissimo, qui in suis *Antiquitatibus Christianis*, de Persequutionibus, quas passa est Ecclesia, agens lib. I. cap. IX. dum de Persequutione Domitianea §. IV. loquitur, hanc Flaviam Domitillam, non relegationem, sed martyrium subiisse his verbis asseverat: *In hac persequutione Johannes Apostolus in insulam Pathimum relegatus traditur; tum & martyrium subiere S. Dionysius Areopagita .... ex quibus praeterire piaculum est S. Flavium Clementem ipsius Domitiani patruelem ... & S. Flaviam Domitillam, ejusdem Imperatoris ex sorore neptem; de quorum martyrio Ethnicos ipsos Scriptores testes habemus, uti Svetonium in Domit. c. 15., & Dionem lib. 67.* Haec laudatus doctiss. antiquitatum Christianarum Scriptor, & indignor, eum hac de re Ethnicos, quos citat Scriptores haud consuluisse, ex quibus Domitillam non martyrium subiisse, sed in Pontiae insulam relegatam fuisse eruitur.

FLAVIA . DOMITILLA . FILIA . FLAVIAE . DOMITILLAE.
IMP. CAESARIS .... ANI . NEPTIS . FECIT . GLICERAE
LIBERTIS. LIBERTABVSQ. POSTERISQ. EORVM. CVRANTE
T. FLAVIO . ONESIMO . CONIVGI . BENEMER

Vbi in ſecundi verſus lacuna DOMITIANI vocem ſupplendam eſſe unuſquiſque mecum conjurabit. Hanc poſtea Domitillarum diverſitatem doctiſſ. non advertiſſe miror Cluverium, unde in trivio fuit in vero definiendo hujus Domitillae deportationis loco (16).

VIII. Verum, quid nunc moramur, quin PANDATARIAE inſulae conditionem apud veteres inſpiciamus? Ex ipſo enim Marmoris contextu, Metrobii munus referente, ſat luculenter evincitur, illam apud Romanos ſub Praefecturae forma fuiſſe, i. e. (ut etiam in antiquitate vix initiatis patet) conditionem habuiſſe longe Coloniis, ac Municipiis duriorem. Atque ex hoc etiam colligitur, illam ſat fuiſſe civibus confertam.; quapropter de PANDATARIA iſta, & Pontia ita ſcripſit Jul. Caeſ. Capacius: *Et quamvis hac tempeſtate in ſolitudinem abierint, veſtigia tamen antiquae retinent habitationis*. Sic laudatus Hiſtoricus, & pro re nata hic haud cenſeo poſthabenda, quae ipſe doctiſſ. Auctor de illarum Inſularum conditione cit. loc. his verbis il-

(16) Ital. Antiqu. lib. III. Cap. 7.

illevit: ***PANDATARIAM***, *ac Pontiam Volscos incoluisse, & Romanos ibi quoque habuisse Colonias scribit Livius lib.* IX. *Dec.* I. Quae opinio nobis cum adversaretur, qui PANDATARIAM Praefecturam fuisse, supra jam luculenter probavimus, cito Livium adii, quem tamen dixisse reperi, Pontiam solummodo, & Suessam Colonias fuisse. En Historici verba: *Paetelium autem, pestilentia orta, Clavi figendi causa Dictatorem dictum. Suessam, & Pontiam eodem anno Coloniae deductae sunt. Suessa Auruncorum fuerat. Volsci Pontiae Insulam sitam in conspectu littoris sui incoluerant*. Cui suffragatur & his verbis Diodor. Sicul. lib. XIX. cap. III. Κατα την Ιταλιαν των Ρωμαιων ο δημος, κατα νουν των πραγματων αυτω προχωρουντων, αποικιαν απεστειλεν εις την νησον την ΠΟΝΤΙΑΝ καλουμενην. i. e. *In Italia Populus Romanus, quum successus votis responderet, Coloniam in insulam, quae* PONTIA *nominatur, misit*. Non tamen me latet, binas hasce Insulas, utpote inter se pares, atque finitimas, parem semper facile habere potuisse conditionem; quod si fuisset, haud evenire nequiverat, ut cum antea Romanorum fuisset Colonia, in Praefecturae formam deinceps fuisset redacta, cum moris fuerit apud illos, ut quae Civitates semel, atque iterum ingratae erga ipsos fidem fefellerant, in Praefecturam postea redigerentur, sicuti ex earum etiam origine patet apud Livium, atque Halicarnassensem.

IX.

IX. Age tandem, qua Marmor iſtud fuerit aetate adlaboratum, inquiramus; quod facile quidem cuique poteſt innoteſcere ex unico Conſulis nomine in ipſo Inſcriptionis calce appoſito, ubi nomen alterius eſt temporis edacitate detritum. Legitur nempe ibi:

. . . . FLAVIO . BASSO . COS

L. Flavius Silva Nonius Baſſus, ut in Faſtis Conſularibus habetur, collegam habuit Aſinium Pollionem Verrucoſum, ambo M. Plautio Silvano, & M. Annio Vero Pollione ſuffecti; anno ſcilicet V. C. DCCCXXXIV., atque aerae Chriſtianae LXXXI. imperante Domitiano (17).

X. Et hic me continere nequeo contra Valerium Chimentellium, qui ad Marmor Piſanum *de honore Biſellii* cap. IV. Praefecturas jamdudum ab ann. V. C. DLX. ſublatas fuiſſe, hiſce verbis aſſerit: *Scio Praefectos fuiſſe Roma miſſitatos ad jus dicendum in ea loca, quae nec Coloniae eſſent, nec Municipia. Mulctata autem legibus*

(17) Ex erronea Marmoris lectione error quorundam provenit, qui ſub Conſulatu *Ablavii*, & *Baſſi* anno P. C. N. CCCXXXI. exaratum fuiſſe hunc Metrobii titulum autumant: ne lectorum otio me abuti videar, quae contra iſtorum ſententiam adducere poſſem, conſulto praetereo: nam praeter τὸ *Flavio Baſſo*, haud vero *Ablavio, & Baſſo*; viſuntur etiam in eadem Marmoris linea, abraſae quaedam litterae, quibus nomen alterius Conſulis, *Aſinii* nempe *Pollionis Verrucoſi* expreſsum fuiſſe oportebat.

bus, *ac Magistratibus Praefecturarum nomen retinebant*, *sed istis Praefectis* (*quos ne Magistratus quidem dixere*) *nihil commune cum nostris Magistratibus*. *Et quidem hae Praefecturae sublatae post annum V. C. DLX.*. Haec Auctor illevit, et contra eum erudite disseruit more suo Everardus Otto, qui ex variis in Ciceronem conjecturis probavit, ad huiusce Oratoris usque aetatem Praefecturas perdurasse. At ex nostro nunc Marmore certiores facti sumus, illas adhuc ad octuagesimum primum aerae Christianae annum viguisse, h. e. aliud fere post sesquisaecculum a Ciceronis aetate, et tria post saecula ab illis, queis sublatas esse Praefecturas scripsit Chimentellius. Unde vides quanti praetii sit nostrum hoc Marmor, quod in re admodum dubia nos firmavit, certioresque reddidit. Sed ad magis infirmandum Chimentellii opinamentum quam maxime favet *Peltuinatium in Vestinis* Tabula Aenea Anno V.C. DCCCCXCIV. Christi CCXVII. exarata, ut ex Consulibus initio signatis, *C.* nempe *Vettio Attico*, & *C. Atinio Praetextato* adparet, apud Grut. p. CCCCXLIII. n. 6., in qua *Peltuinatis Praefecturae* mentio occurrit, quamvis ea aetate, in Coloniarum, & Municipiorum jura Praefecturas omnes trasiisse, & ubi a nomine discesseris, cetera cum illis communia habuisse, ex antiquitatum Scriptoribus constat.

XI. His autem explicatis, ac veluti in ante-

D cae-

caenium praemissis, ad Marmoris tandem verba adcedamus oportet, atque ut clariori, qua fieri possit, methodo procedamus, ea διϛιχον κατα διϛιχον expendere aggrediamur.

RELIQVIAE.CINERIS.TVMVLO.MANDATA.QVIESCVNT.
AVG. LIB. SACRO. HOC. TIBI. METROBIE.

OCcurrit primum in Inscriptione grammaticus Auctoris error, cum ille dixerit:

Reliquiae *Cineris Tumulo* Mandata &c.

quem posset tamen, haud nego, aliquis cum Cl. *Martorellio* defendere, utpote per syntesin factum, Virgilianum illud afferendo: *Triste Lupus stabulis*, & ut Lucretius:

Ductores Danaum delecti prima *virorum*.

At facile cordatiores quosque homines discrimen dignoscere posse credo, inter Virgilianum, & Epigrammatis nostri textum intercedens; quare, ne decertandi amore in re meridiana ipsa luce clariori sycophantari videamur, malumus fateri, hic Auctoris σφαλμα inesse, quorum millena in aliis lapidibus. Ceterum iis, qui inanibus istis sunt omnino intenti, id pensitandum relinquimus; nam pudet nos in grammaticis versari quaestiunculis.

Prae-

Praefert postea Pentameter aliquas punctis intercisas dictiones, quas metri gratia hoc modo dimetiri oportet.

Aug. Li (berte. Sa (cro) Hoc. Tibi)
Metrobi (e)

Cujus abnormis Carminum metationis atque exarationis plane novum habemus nostro in hoc Marmore exemplum (18). Certiores praeterea de Me-

(18) Vix aliqua hujusmodi invenies exempla, ubi ad sequiora deveneris saecula. In Turri Campanaria Metropolitanae Ecclesiae Neapolitanae extant binae metricae Inscriptiones, anno MCCXXXIII. sub Archiepiscopatu *Petri de Surrento* conscriptae, in illis utrisque versus est exaratus, in quo simplex inest P. in uno versu pro *Parthenope*, in altero postea pro *Petro* legendum, & tamen in carminis metatione vim retinet unius syllabae. Has inscriptiones refert *Chioccarellius* in suo libro *de Archiepiscopis Neapolitanis*, & hic exscribere nos haud inconcinnum putamus.

I.

HANC. PETRAM. PETRVS. PRAESVL. AEDIFICAVIT
QVAM. CHRISTVS. PETRAM. PETRO. SIMONI. SIMILAVIT
SVRRENTINATVS. PRAESVLQVE. NEAPOLITANVS
MILLE. TER. VNDENIS. ANNIS. DOMINIQVE. DVCENTIS
DECANTENT. TVRBAE. SVRRENTINATVS. IN. VRBE.
VRBIS. P. SANE. PRAELATVS. VERGILIANAE
QVEM. DOMINVS. ELEGIT. FELICITER. HOC. OPVS. EGIT.

trobii istius conditione ex hoc versiculo facti sumus, qui, ut ibidem legitur, Augusti fuit Libertus. Atque hic observare haud abs re erit; licet quam maxime sit protritum, Libertos olim a primis Romae incunabulis aequalem omnes habuisse libertatem, h. e. *camdem, quam habebat Manumissor*, ut in tit. v. instit. de libert. §. 3.. At postea, cum sub Augusto Civitas tota horum scelestissimorum hominum colluvie impleretur, qui Civium jura omnino labefactarent, invaderentque; fuit illorum conditio tripartita, hoc videlicet modo, ut qui majorem consequebantur libertatem, Cives Romani fierent; qui minorem, lege Junia Norbana,

II.

ANNIS. VIVENTIS. DOMINI. IAM. MILLE. DVCENTIS
TER. DENIS. TERNIS. SI. SCRIPTA. LEGENS. BENE. CERNIS
INTITVLAT. GESTA. CVRRENS. INDICTIO. SEXTA
TVNC. ANNI. DOMINI. TERDENI. MILLE. DVCENTI
TERNI. CVM. COEPIT. OPVS. HOC. FELICITER. EGIT
P. DE. SVRRENTO. TVNC. PRAESVL. NEAPOLITANVS
SI. BENE. SCRIPTA. LEGES. INDICTIO. SEXTA. CVRREBAT

Et in Chronicis Episcopi cujusdam Mindensis, a Leibnitio inter *Scriptor. Brunsv.* Tom. II. allatis, legitur etiam:

M. tercenteno cum nono septuageno
Mindae districtus conterrent fluminis ictus.

in quorum primo versu littera M. pro *Mille* accipienda, ne prosodiae ratio labasceret, singularis syllabae retinet potestatem.

na, Latini (19), qui denique inferiorem, lege Aelia Sentia, Dedititii (20), et isti deteriorem prae ceteris habebant conditionem, ita ut de illis dixerit Imperator, *vanum solummodo* libertatis nomen habuisse, quam diversitatem idem sustulit Iustinianus, ut ipse testatur *cit. tit. Instit.* Cum autem Libertus iste Metrobius post Augusti aetatem Praefecti munus gessisset, colligitur inde, eum non Dedititiorum, vel Latinorum, sed Civium Romanorum jura in manumissione acquisivisse, ut ita Praefecturam aggredi par esset. Nec mirandum: Libertos enim non raro ad publica Civitatis munera evectos fuisse, res notior est, quam ut auctoritatibus producendis Lectores immoremur. De maxima ipsorum auctoritate plura si quis cupiet, adeat Paneg. Plinii (21), ejusque ibi divites Commentarios (22).

XII.

[19] Dio lib. LV. Ulpian. fragm. I. 10.

[20] Ulpian. ibid. 11.

[21] Cap. 47.

[22] Olim putabam Libertum quemdam Neapolitanae Urbis Demarchum fuisse, ex litterati Marmoris fragmento, quod in pavimento extat Sacelli ab Jacobo Pontano Divae Mariae, & Joh. Evangelistae dicati. Verum re nunc melius perpensa, & oculis fidelibus inspecto dissecti Marmoris fragmine hujusmodi exarato:

. . . PRIMO
. . . . DEMARC.
. . . . L. ITEMQVE
. . . S. QVI VIXIT
. . . M. VI. CLVVIVS
. . . LVVIA. SEVE
. . . INCO . . .

Sentii, id non ex vetusta Inscriptione, sed ex opinamento potius derivasse Cl. Viri *Jacobi Martorellii*, qui Marmor illud integritati suae sic restit[illegible] studuit.

XII. Verum quae in Diſticho II. leguntur, penſitemus.

**HVIC. NON. DVRA. COLV. CLOTHO. DECREVIT. IN. ANNIS
TER. DECIES. QVINOS. DEGERE. QVEM. VOLVIT.**

Ingentes inter Archaeologos rixae, ac contentiones excitantur in Metrobii aetate definienda, de qua mentio eſt in hoc Diſticho, ubi annos *ter decies quinos* illum degiſſe legitur. Eos nonnulli Viri ſummi cum Iacobo Martorellio *cen-*

tum

Martor. Supplem Fragmentum.
M. Aurelio PRIMO
Neapolitano DE MARC.
Artemiſion Fre TARCHO
M. Aurelii Cari L. ITEMQVE
A rationibu S. QVI VIXIT
Ann. p. m. LXVIII. M. VI. CLVVI.
us Rufus & C. LVVIA SEVE
ra regioni S. INCOLAE.

Tantum nempe ſibi Martorellius licere credidit, ut M. iſtum *Aurelium Primum* propria auctoritate Demarchum Neapolitanum creaverit, Artemiſiorum Fratriae (qua ratione neſcitur) illius dederit nomen, atque ejuſdem conditionem quaerens ex *Libertorum* numero ſtatuerit: communibus poſtea Eruditorum ſuffragiis ſuam interpretationem acceptam putans, Graeca, & Latina omnia mutilata illius Sacelli Epigrammata, exeunte anno 1759. cum brevi Commentario evulgavit, & ad hanc rem appoſite addidit: *Quanti volumius eſt hoc alterum fragmentum ob vocabula* Demarchus, *& Fretarchus, Graeci patrii magiſtratus, & nunc primum ab Latiali nos marmore donati. Nil detractum iri novimus veterum civium majeſtati, quod virum libertum Demarchum creaverint; quando id genus hominum honeſtiſſimis muneribus fulſiſſe nullus neget.* Haec Martorellio auctore dicta ſunt: ſed mirum quantum in univerſa iſtorum lapidum interpretatione Virum doctiſs. caecutiiſſe, jam animadvertit Eruditiſs. Anonymus, qui in Graecorum tantum lapidum interpretamento laborioſas edidit animadverſiones.

ſum quinquaginta; nonnulli vero *ſexaginta quinos* interpretantur. Nos iſtorum opinioni facile adſtipulamur ob luculentiſſimas., quae eam tutantur rationes, quas ut ſtabiliamus, neminem nobis moleſtum futurum credimus, ſi omnia Adverſantium expromamus, ac diluamus argumenta, ut ſic magis magiſque vero ſimiliorem eſſe noſtram ſententiam inclareſcat, quam exiſtimant illi omnino jugulare ipſo Marmoris contextu, dum legitur ibi, *CLOTHON* haud duram in ſuis annis decreviſſe, quod minime conſentire exiſtimant *ſexanginta quinque* annorum aetati, cum noſtris adhuc temporibus dura nuncuparetur mors, ſi hiſce in annis alicui interveniret. At mihimetipſi hic gratulor, clariſs. Mazochium haud inopportunum facem praeferre peculiari ſua laboratiſs. Diſſert. *De Proceritate primorum hominum* (23), ubi minime aſpernendis rationibus, veterum Romanorum vitae curriculum, noſtrorum hominum fuiſſe probat brevius, cujus haec ſunt verba: *A propagato Evangelio vitas aliquando diuturniores, qnam ſub Aethniciſmo reperio: quod frugalitati Chriſtianae, non vigori naturae aſſignandum puto*. Et idem haec poſtea ſubdit in adnotationibus: *Fabrettus in ſuo Corpore Inſcriptionum Antiquarum ex titulis ſepulcralibus, in quibus vitae anni notantur, oſtendit ſub Imperio Romano vitae curricu-*

[23] Spicileg. Biblic. Tom. 1. p. 193.

cula contractiora hodiernis fuisse (24) *: Id, quod magis Balnearum nimietati* (25), *crapulae, ceterisque voluptatibus eorum temporum, quam Corporum constitutioni dandum semper censui*. Quàm recte haec a doctissimo Viro sint dicta Eruditi omnes dignoscunt: at nostrae opinioni quam maxime etiam favet Auctor Historiae Romanae, qui, post-

[24] Iam antea doctiss. Auctor in suis Commentariis ad *Tabb. Eracleens.* pag.445. quod ex ipso Fabretto scriptum acceperat, his verbis recitat: *Fabrettus pag. 560. ex plus octo millibus Inscriptionum ineditarum a se collectarum perpaucas reperit, quae annum vitae octogesimum referant; septem inter octogesimum, & nonagesimum; quatuor quae annum XC. attingerint; duas, quae annum XCI; tres, quae XCII.; unam XCIV.; item unam XCV. ad haec duas XCVI.; unam vero XCVII.; unam XCVIII.; sed & unam annorum Plus minus C. alteram annorum CI.; itemque alteram annor. CII., ac nihil ultra. Idem antea Malvasia ex Marmoribus conatus fuerat.*

[25] Balneorum calidorum usum immoderatum caussam contulisse, ut tam pauci longaevi sub Imperio Romano extitissent, frequens est Eruditorum querela, illud addentium, quod eodem simul tempore Antiqui corpora venere enervarent: hinc Balneum quoddam, in Locationis Programmate reperto in suffossionibus Pompejanae Urbis, VENERIUM appellatum fuisse existimat doctiss. Mazochius: atque adeo id erat usitatum, ut in quibusdam Provinciis Balneatores conductas haberent in publicis Balneis Meretrices; quaestum ex ipsis facientes, nec aliâ de causâ Ulpianus inter Lenones *in L. 4. Dig. de his, qui notantur infam.* Balneatores etiam adscribit. Id eo libentius adnotavi, ut de subterranea quadam splendidissimi operis Concameratione Balneorum usui addicta, in eadem *Pandatariae* Insula forte detecta, Lectores heic praemonerem. Ejus ichnographia, dum Insulam perlustrabat, delineari curavit doctiss. Eques *Hamiltonius*, quem pro dignitate laudare despero, & humaniter mihi schema communicavit. De eo plura disserere nunc parum urgeo; non pauca postea in hujus Exercitationis calce adnectere contentus.

postquam Ciceronis mortem aetatis suae anno LXIII. per vim illatam descripsit, quum hac aetate id accidisset, apposite subdit (26): *Vixit* (Cicero) *tres*, *&* *sexaginta annos*, *&* *si vis abfuisset*, *ne IMMATURE quidem res videri possit*. Haec cum ita sint, haud mirum si ea tempestate, Metrobius cum ad sexaginta quinos pervenisset aetatis annos, *CLOTHON* non duram Ei decrevisse dicatur. Unde vides, quam longe a vero aberrasse, qui hac potissimum ratione *centum quinquaginta annos* illum vixisse asseverant, quorum sententiam magis ut infirmemus, locupletiora supersunt testimonia, quorum ope *sexaginta quinos* Metrobium degisse annos nihilo patentius unusquisque noscitabit. Et primum testem advoco Trebellium Pollionem, qui haec scripsit in Claud. cap. 2. *Doctissimi Mathematicorum CENTUM ET VIGINTI ANNOS homini ad vivendum datos judicant*, *neque amplius cuique jactitant fuisse concessum*, *etiam illud addentes*, *Mosen solum Dei* (*ut Judaeorum libri loquuntur*) *familiarem CXXV. annos vixisse*. Quid affirmaret nunc Pollio; quid Mathematici omnes, si *centum quinquaginta annos* vixisse Metrobium audivissent?

XIII. Sed acriter adhuc resistunt adversarii, bina alia proferentes hujus longaevitatis argumenta: *longum* nempe *tempus*, quo, inferius dicitur, insulae illae praefuisse Metrobium, & *Turbam*, quam ipse habuit *Natorum*. His ut reponam, eadem

 ar-

[26] Apud Livium in Fragm.

argumenta ipsis in jugulum retorqueamus oportet. Quis enim sibi suadebit, hominem hac silicernia senectute omnino confectum, & *vincto simillimum*, ut Senecae verbis utar, adhuc Praefecti munus gessisse? Legitur apud Galenum (27), triplicem esse senum divisionem: primo Quadragenarii, qui adhuc viribus valent; secundo Quinquagenarii, qui non viribus, sed consilio; tertio demum Sexagenarii, qui nec viribus valent, nec consilio. Quid esset autem dicendum de Centumquinquagenario? Id clare per se emicat: hinc ne lectoribus nimium afferam taedium, cito ad aliud deveniendum puto argumentum, quod facile credo unicuique risum conciliet. Nam si ad explendam hanc filiorum Turbam, opus fuisset, ut centum quinquaginta vixisset annos, ita ut potuisset centenario major filios procreare, ecquid in Sacris Literis admirabundus Abraham ita Deum fuit alloquutus: *Putas ne centenario nascetur filius?* Licet ea tempestate validiores homines fuissent. At dum haec contendimus frustra sumus: ῥητῶς enim *Turbae* significationem, quae tamdiu Viros istos longaevitatis praecones excruciat, haud semper ad innumeram multitudinem, ut illi opinantur, protractam, sed pluries etiam ad numerum usque ternarium restrictum fuisse Latinorum Auctorum testatur consuetudo. Ad rem huc facit Propertius Eleg. XI. lib. IV. ubi Corneliam L. Aemilii Paulli Censoris Vxorem jam de-

[27] De Conservat. valet. cap. 12.

defunctam, Maritum alloquentem inducit, ipsique tres filios, *Lepidum* nempe, *Paullum*, & *filiam feminam*, quos superstites reliquerat, commendans, postquam singillatim illos nominasset, addit:

Nunc tibi commendo communia pignora, Natos,
Haec cura & cineri spirat inusta meo.
Fungere maternis vicibus, pater illa meorum,
Omnis erit collo TVRBA ferenda tuo.

Vt praeteream, eumdem Poetam de Eumenidibus, quas tres non amplius fuisse pro comperto est, in eadem *Eleg.* dixisse:

Eumenidum intento TVRBA severa foro.

Quare, non secus ac Cornelia tres filios *Turbam Natorum* apud Propertium appellavit, sic & in nostra Inscriptione *Natorum Turbam*, quam Metrobium habuisse dicitur, eodem modo interpretari posse, quisque per se facile animadvertet.

XIV. Verum, ut id solidius roboremus, adeo ut nihil dubii reliquum sit, addam quoque, arithmetico calculo, *terdecies quinos* sexaginta quinque conficere, quasi diceres *tredecim quinos*. Scio, Adversarios quovis etiam deposito pignore, pernegare *ter decies* apud latinos pro *tredecim* valuisse. At divites invenio testes, qui carere omnino disceptatione videntur. Vitruvius primum, ubi de Lunae cursu loquitur, haec scripsit lib. IX. c. 4. *Quem circulum Luna TER DECIES duodecim mensibus percurrit*. Cui suffragatur etiam Ausonius Epist. VII. Theoni scribens.

qui triginta ei Oſtrea miſerat, grándia quidem, ſed tam pauca, ubi haec ait:

Accepi, dilecte Theon, numerabile munus,
Verum quot fuerint, ſubjecta monoſtica ſignant.

Vbi aliis deinde verſibus interjeſtis, illas etiam numerando ſubdit:

. . . .
Binas TER DECIES, ſemel quaternas
Vel bis quinque, dehinc decem decemque
. . . .
At ne ſim tibi pluribus moleſtus
TRIGINTA numero fuere cunctae.

XV. Vides igitur, *TERDECIES* apud Romanos idem fuiſſe, ac *Tredecim*; Vnde *quinos terdecies* ſexaginta quinque conficere nemo inficias ibit: hinc nil dubius ſum, quin omnino rationibus iſtis, omnes, & ipſe quoque *Jacobus Martorellius* acquieſcat, cujus omnia fuere argumenta, á nobis huc uſque refutata, quae, etſi typis hactenus non prodiere, ita tamen ea evulgavit, ut nequeat nunc, ut ſua, ſine mendacii nota non agnoſcere (28).

XVI Hac tandem Metrobii aetate confirmata, ad aliud Diſtichon deveniendum putamus:

PRAEFVIT.HIC.LONGVM.TIBI.PANDOTIRA.PER AEVOM.
PROVIDAQVE. IN. MELIVS. IVRA. DEDIT. POPVLO

Atque, ut rem exordiamur: annuas fuiſſe Praefectu-

[28] Haec eadem argumenta pro diuturna Metrobii aetate propoſuit in quadam ſua Epiſtola italicè exarata Anonymus Siculus, ſub cujus Perſona *Jacobum* ipſum *Martorellium* V. C. deliteſcere aut umarunt omnes Eruditi; at de illa alibi recarret ſermo

fecturas ex Romanorum νομοθεσια comperimus, & ex Festo praesertim, cujus solummodo hic afferimus verba: *Praefecturae* (ipse ait) *eas adpellantur in Italia, in quibus, & jus dicebatur, & Nundinae agebantur, & erat quaedam earum Respublica, neque tamen Magistratus suos habebant, in quas legibus Praefecti mittebantur QVOTANNIS, qui jus dicerent*. Quomodo hinc fieri poterat, ut per longum aevum iste praefuisset Metrobius? Gordianus sane hic esset nodus, & nequaquam extricandus, nisi ignorantiam afferres cujusdam Magistratuum immutationis sub Caesaribus factae; si luculentissimus nobis testis non esset Dio Cassius, cui maximas de hoc habeo gratias, qui de variis in Magistratus ab Octavio latis Sanctionibus loquens, sic ait, ηπειτα δε τοις, &c. *Hinc, & annuas esse illorum Praefecturas, eosque sorte legi, jussit* (Octavius) *nisi quis MVLTITVDINIS LIBERORVM, aut nuptiarum ratione singulare beneficium meruisset*. Vbi haec subdit accuratissimus Adnotator: *Inter* αθλα, *sive praemia, juraque constituta, nuptias contrahentium, & plurium Parentibus liberorum . . . optarem Dio planius expressisset, qualenam ille privilegium hoc loco intelligeret: Numquid iis, qui facturi essent nuptias, fuerit integrum se excusare, vel, si beneficii loco habeatur praeesse Provinciae, iis, qui plures educassent liberos, eadem in plures annos continuaretur. Posterius probabile*. Ceterum cum ex Marmore videatur, ha-

buis-

buisse Metrobium, et *Piam Turbam Natorum*, et *Iuliam Conjugem* nemo, nisi luscus non videt, ob istam Octavii sanctionem illum in *Praefecturae* munus tamdiu perdurasse. Et hinc dubium, ex Adnotatoris sententia, Dionis testimonium hujus Marmoris ope mire admodum firmatur.

XVII. At tandem scire in optatis cuique erit, cur nomine apud Scriptores insolito, insula ista in nostra hac Epigraphe PANDOTIRA veniat appellata. Nos superius §. III. id explicaturum spopondimus; & datam fidem nunc solvamus oportet. Nec aliter sane res erit indaganda, quam ab ipso *Pandatariae* nomine, quod deducendum videtur ex binis διγλωττοις verbis; graeco nempe Παν *omne*, & latiali *Dataria*, quasi insulam dicerent rerum omnium uberrimam, feracemque (29). Sagacissimus postea Elogiasta hoc latiale verbum *Dataria* cum graecanico commutans Δοτειρα *Datrix*, aliud efformavit nomen ex ambabus Hellenistici sermonis vocibus idem indigitans, suoque metro aptatum, quod est PANDOTIRA. Atque haec divinatio, nisi nimium mihi videor indulgere, satis esse potest idonea, im-

(29) De *Pondatariae*, adjectarumque insularum fertilitate non pauca differit Jul. Caesar Capacius in sua Hist. lib. 11. c. 19. ceterum haud porro me discruciabo, ut evincam nullum fere bilingue Civitatis nomen apud Veteres extitisse ad loci naturam minime accomodatum, in quo res ex sententia non processerit. Id pluribus demonstravit, atque uberrimam istorum nominum segetem collegit doctiss. Mazochius Neapolitanae litteraturae ornamentum in suis Tyrrhenicis Differtationibus Diatr. VI.

immo potius verissima. Et si conjectationibus hic dandus est locus, haud inconcinnè reor, Graecos quondam facile ibi incoluisse, non secus ac nonnullas Neapolitani Crateris insulas (30), & ΠΑΝΔΟΤΕΙΡΑΝ eorum sermone appellasse, cum deinde eam Romani in suam redegissent potestatem; grajum Δοτιρα latine interpretarunt *Dataria*, & prima syllaba Παν detenta, PANDATARIAM vocitarunt. Id cum fortasse non latuisset Epigrammatis Auctorem, priori nomine in sua Epigraphe usus fuit.

XVIII. Et antequam hinc abeam, praestat animadvertere, usitatissimi moris apud Romanos fuisse, locis illis a Graecis antea habitatis, & graece appellatis, ubi sub ipsorum Imperio ea devenissent, nova latina nomina ejusdem significationis, quasi per interpretationem imponere, quo pacto *Athenaeum*, *Posidònia*, per affines voces ipsi denominarunt *Minervium*, *Neptunia* (31): nec absi-

(30) Ex vetustis marmoribus graece exaratis, quae in propinquioribus juris Neapolitani insulis in apricum prodeunt, atque ex ipsarum insularum nominibus ab Graecorum dialecto proficiscentibus, id profecto eruitur. *Hypati* monumentum non multis ab hinc annis in *Capreárum* insula effossum graece conscriptum, & ab Clariss. Viro Matthaeo Aegyptio latine redditum: nec non *Pacii Nympsii* aliud graecum marmor in *Aenariae* insula doctissimorum quorumdam Anglorum cura nuper detectum, nonnullaque alia haeic adducere possem; at ne longius ab instituto peregrinari videar, libenter omitto.

(31) Ad eumdem modo laudatum Mazochium lectores provoco: is enim in suis *Paestanis Originibus* Cap. VI. copiosius hac de re disputavit, quam ut quidquam addendum videatur;

&

absimili ratione Graeci se gesserunt in transnominandis sermone patrio Orientalium urbium vocabulis, ita ut graecum *Ancona*, idem significet, ac tyrrhenice *Cumerum*, & Tyrrhenorum *Ilua* graeco Αιθαλια prorsus respondeat, de qua vide infernè adnotata (32).

§. XIX. Haec de vocis *Pandotirae* originatione nos dixisse sufficiat. Nunc defuncti Metrobii laudes

& Mazochium sequutus vir supra fidem doctissimus Nicolaus Ignarra in laboratissimo Schediasmate *De Graeca Inscriptione Heracleae in Magna Graecia* 1763. *reperta* pag. 11. n. 9. animadvertit, adeo usitata apud Romanos ea interpretamenta fuisse ut propria Graecorum hominum nomina latine ipsi verterint. *Sic Pater Suetonii Tranquilli* (scripsit laudatus Vir) *fuisse Suetonius* Lenis *perhibetur*. *Papinii Statii* Violantillam *Martialis*, *latinam vocem cum graeca commutans*, Yanthidem *vocat*.

(32) Insulam a Graecis Αιθαλια appellatam, eamdem esse ac Tyrrhenorum *Iluam* res certo certior est: tantumdem porro Tyrrhenis est *Ilua*, quod Graecis Αιθαλια: nec praetereunda quae apposite ad hanc rem scripsit laudatus Mazochius in Tyrrhenicar. Dissertationum Diatrib. VII. §. III. *De volaterris*, *Populonia*, *& Ilua*: *Ajo itaque* (sunt doctiss. viri verba) *Iluam sine ullius literae mutatione*, *a verbo* Ala *descendere*, *quod verbum Hebraeis quidem est* ascendere (*quae qualitas elemento ignis est peculiaris*) *sed apud Arabes* (*apud quos ex suae linguae analogia tertia radicalis est* Aleph) *significat* bullire, fervere, excoqui, *quae sunt rei metallicae peculiaria*. *At etiam apud Hebraeos idem verbum* accendendi, *sive*, ignescendi *significatu non caruisse quovis pignore contenderem* ... *quod nomen* καμινον fornacem fabrilem *significat*, *quod Graeci* Αιθαλην *dicunt*.. *Atque hinc* Αιθαλια *graecum ejus Insulae nomen*. Haec doctiss. Originum Tyrrhenicar. Scriptor, & ejus verba eo consilio huc attuli, ut Principis Geographorum error patefieret, qui lib. 11. Tyrrheni Maris insulas enumerans, Αιθαλιαν, & Ιλυαν binas inter se diversas esse credidit insulas. Illius verba jam superius §. V. exscripsi.

des, quas binis sequentibus διστιχοις Elogii Auctor prosequitur, audiamus:

PLENA.BONO.MENS.AEQVA.FVIT.NON.ASPERA.LINGVA
INCVLPATA.FIDES.INNOCVVSQVE.PVDOR.
NVLLVS.FVLGOREM.VALVIT.DECERPER.LIVOR
CONSTIT (it).AD.FINEM.VLTIMAQVE.HORA.NITOR

Sunt, qui existimant innui hoc disticho, Metrobium in extrema virium defectione non solito mortis pallore expalluisse, quibus auctoribus, hanc recipit disitchon illud interpretationem, quod *nullus livor valuit decerpere illius fulgorem, dum nitor constitit ad finem, & ad ultima ora* (33), nempe *verba*. At si ita se res haberet, quomodo fieri poterat, ut fulgor inesset homini senio jam confecto, & animam singultanti? Reponent, hoc potius poeticae phantasiae tribuendum; sed, inquam, quid laudis haec fuissent Defuncto? Nolo in re levissima longo sermone lectores defatigare: quapropter his animadversis, me non parva quidem caussa movet, ut abeam in diversa, atque istud Marmori interpretamentum conciliem, quod nempe *livor non valuit illius fulgorem, seu gloriam obumbrare, dum constitit nitor usque ad finem, & ad ultima ora*, seu *verba*. Et hocce inter-

(33) Ob quadratarii oscitantiam in ρησι HORA adspiratam literam H. in nostra Inscriptione irrepsisse eruditi omnes conveniunt, cujus oscitantiae millena in aliis lapidibus exempla.

pretamentum contumacem neminem, ac refracta rium abnegare posse credo.

XX. Postquam ipse Metrobiani Elogii Scriptor Defuncti laudes percensuisset, quippe qui Praefecti munus per longum aevum provida, atque inculpata fide inibi gesserat, ipsum Defunctum his verbis adloquitur:

TE. TVA. NATORVM. DEFLET. PIA. TVRBA. TVORVM
CONSESSVQVE. PARI. TVRBA. PIATA. GEMIT

Observandum primum in Exametro, *te tua natorum deflet pia turba tuorum*; vocum concentum, a quo Latini haud omnino in suis carminibus abhorruere, ut alibi ostendimus (34).

Post haec in Pentametro occurrit TVRBA PIATA, adhuc aliis in Inscriptionibus omnino incognita; idcircò, ut, quae fuerit apud Veteres aperiamus, eorum ritus exacte sunt expendendi. Habemus ex Kirchmanno, aliisque qui hanc rem veterum Libitinariam egregie pertracta-runt,

(34) In Commentario ad *Mirabellanum Rogerii I. Neapolitani Regis Marmor* versibus quibusdam ad vocum concentum elaboratis conscriptum, dum de harmonica hac contexendi carmina ratione, apud inferioris aevi Scriptores usitatissima, nos egimus, a Latinis quandoque istiusmodi carmina fuisse etiam usitata in Add. 2. ostendimus, apud Virgilium Aeneid. III. v. 549.

Cornua velatarum obvertimus antemnarum.

Immo, & apud Graecos etiam aliquando invaluisse, conjiciendi mihi aditum fecit doctiss. *Nicolaus Ignarra* in suo perillustri Commentario *de Palaestra Neapolitana* p. 168. n. 5., ut ibidem addidi.

runt, Romanos valde cupidos fuisse, ut Amicorum unda suum funus prosequeretur, adeo ut solebant etiam illos Legatis allicere, sicuti exemplum habemus in L. *si tibi*. D. de legat. III., ubi legitur: ***Si tibi*, *&* *ei*, *qui ex tribus liberis meis in funus meum venerit*, *centum aureos legavero &c.*** . At illi postquam funus erant prosequuti, quia se pollutos putabant, redeuntes, Expiationis caussa, Aqua aspersi, ut ait Festus in V. *Aqua*, ignem supergrediebantur. Ex hac profecto Expiatione Turba ista hoc in lapide vocatur PIATA, quasi EXPIATA, quae tristem deflebat Metrobii obitum *Pari Consessu*, ac Filii.

XXI. Et ecce nunc illud *Pari Consessu*, de quo nescio quid obmurmurat doctiss. ipse Martorellius, qui numquam mihi persuaserit, heic fallente scalpro *Consessu Pari* scriptum fuisse pro *Consensu Pari*: Hinc ejus hariolationes missas faciam, & Inscriptionis scalptorem ab negligentiae nota absolvens, optime in Marmore exaratum fuisse *Consessu Pari* quovis deposito pignore contendo; at quid sibi velit, quaeso videamus.

In Sacris rite peragendis non exiguam Religionis partem Veteres posuere in corporis compositione, ita ut *Stantes* semper in sacrificiis adessent, exceptis Sacris Funebribus; *Sedentes* enim ipsi Parentare solebant, & lugubria persolvere officia. Apud Aegyptios ex antiquissimis usque temporibus hanc λειτουργιαν invaluisse ex Sacris Litteris

 erui-

eruitur, & praesertim ex Ezechielis verbis, quae Cap. VIII. leguntur : *Et ecce mulieres sedebant plangentes Adonidem*. Ex Aegypto idem Parentandi mos in Graeciam manavit: hinc Ulysses apud Homerum sociorum narrans luctum ob Elphenoris mortem, ait Odiss. x. v. 567.

Εζομενοι δε καταυθι, γοων τιλλοντο δι χαιζας

Sedentes autem illic gemebant, vellebantque comas.

Atque ex Graecis Romani etiam eumdem ritum accepere; quapropter Martialis lib. II. Epigram. 41. hujusmodi adloquitur Massinissam:

Te maestae decet adsidere Matri,
Lugentique Virum, piumque Fratrem.

Martiali adstipulatur Statius Silv. V. 3. v. 65. his verbis:

. . . . Tepido Genitrix super aggere Nati
Maesta sedet . . .

Et ibidem Patris jacturam deflens ipse Poëta:

Nam me ter relegens Caelo; terque ora retexens
Luna videt residem, nullaque Heliconide tristes
Solantem curas . . .

Ac ne longior sim in veterum Auctorum testimoniis conradendis, ultimus in scenam prodeat Tibullus, qui de Sorore jamdiu defuncta, haec ad Nemesim ait: Eleg. 7. lib. II.

Illius ad Tumulum fugiam, supplexque sedebo,
Et mea cum muto fata querar cinere.

Quid

Quid plura? ρητις *Sedes* haud alia de caussa pro Sepulchro etiam non raro usurpatur, atque hoc sensu legitur *Sedes Aeterna* in L. 40. D. *de Relig. & Sumpt. funer.*, & in *Novell.* 5. Valentiniani *de Sepulcr.*, necnon *Apostolorum*, *vel Martyrum Sedem* in L. 6. *C. Theodos. de sepulcr. violat.*, ut magni nominis ICtus Iacobus Gothofredus explicat, & illius explicationi quam maxime favent sexcentae vetustae Inscriptiones, quarum una habet:

HANC . SEDEM . SIBI . VIVI . POSVERE

Hinc apud Hesychium habemus: χαθεδραι πενθεσ ημεραι επι τετελωτικοσι. *Sedes sunt dies luctus pro Mortuis*.

XXII. Ex his hactenus dictis, quo sensu *Consessu Pari Gemere* accipiendum sit clare per se emicat, & genuina, ni fallor, Inscriptionis sententia declaratur, quam non vidisse Cl. Martorellium vehementer indignor. Proderit nunc recitare quae in Dist. VII. Metrobium adloquens prosequitur ipsius Elogii Scriptor:

ESSE . TIBI . CREDAS . OMNES . DE . MORE . PARENTES
VSQVE . ADEO . AEQVALIS . MOEROR . IN . ORA . FVIT

Vbi animadvertendum, *Parentes* heic latiorem accipere usque ad omnes Adfines notionem, sicu-

cuti variis in locis librorum Iuris habemus (35), & apud Tertullianum (36), atque Iulium Capitolinum (37).

Postremo, non est cur nimium laboremus in interpretatione ultimi Disthichi, quo Inscriptionem concludit Elogiographus:

EMINET. IN. LVCTVS. PRIMA. OMNIVM. IVLIA. CONIVX
PER. QVEM. SI. FAS. EST. VIVIS. IN. ELYSIVM
. . . . . FLAVIO . BASSO . COS.

Ita enim per se patet, ut nec Aedipi, nec Davi indigeat explicatione. Quapropter haec hactenus nos illevisse sit satis. Alia utinam eadem in insula Antiquitatis monumenta in apricum proferat isthaec aetas, iisdem felicibus sub auspiciis FERDINANDI IV. D. N., quem Deus Opt. Max. ad absolutam Civium beatitatem diu sospitet, servetque.

XXIII.

(35) Quamvis *Parentes* apud Romanos usque ad Tritavum proprio vocabulo nominarentur; ulteriores, qui speciali nomine carent, *Majores* adpellarentur, ut in L. 4. D. de in jus voc., & in L. 10. D. de grad. affinit.; cum tamen in L. 5. D. de jur. Dot., & in L. 3. §. 1. D. de administrat. & peric. tutor. Vlpianus dixisset profectitiam dotem esse, quae a Patre, vel *Parente* profecta est; *Parentem* ibi per virilem sexum cognatione junctum accipere debemus; immo & videtur *Parentis* significatio latius patere in L. 1. Cod. *si per vim*, & in L. 4: Cod. Theodos. *Unde vi*.


(36) Ad Martyres Cap. II. De carne Christi Cap. VII.

(37) De Marco Antonino Philosopho Cap. V. testatur Auctor, quod *adoptatum in Aulicam domum omnibus Parentibus suis tantam reverentiam eum exhibuisse, quantam privatus*.

XXIII. Haec, HAMILTONI Doctissime, quae ad Metrobii Titulum illustrandum sat esse mihi videbantur, jamdiu collegeram, & anno MDCCLXXI. publici juris feceram; quum ecce non defuere, qui suas tunc objecerint animadversiones, & Reip. Litterariae impertiti fuerint (38): at in istorum vigilias nunc inquirere non vacat. Caeterum ad vetusta alia quod spectat monumenta, votis fortuna respondit, & non longo temporis progressu splendidissimi operis *Balneum*, necnon Templi haud exigui vestigia *Iovi Ammoni* dicati effossa fuere; praeter Numismata quaedam, quae in dies inveniuntur, quorum nonnulla nunc TV, EQVES AMPLISSIME, in forulis servas, dum insulam perlustrabas, comparata: ea quamvis nil novi in se contineant, non mediocrem tamen praeseferunt vetustatem. Quid plura? Templum illud, cujus rudera, ut modo innuebam, detecta fuere, *Iovi Ammoni* dicatum fuisse ex *Cornigero* illius Numinis simulacro arguitur, quod Neapolim advectum in Regio Herculanensi Museo in praesentiarum adservatur. Restat nunc, ut de *Balnei* reliquiis aliqua addam, quod TV, pro eo, quo optimas artes & an-

(38) Anonymus quidam Panhormitanus piaculum fore existimans, ut in re tali, ac tanta, in qua nempe Litterariae rei salus verteretur, Reip. temporibus deesset, Epistolam inscripsit Matronae cuidam *id scilicet curanti*, eaque afflictis *Metrobii* rebus succurrit. Epistola illa, tota quanta est, *Martorellianum* sapit ingenium ut alibi ostendimus.

& antiquitatis ſtudia complecteris amore, peraccurate delineari curaſti, & delineatum mihi humaniter exhibuiſti, ac ne cupidis Lectoribus ego inviderem, in ima pagella, coronidis loco mox proferam. Ob eximiam operis magnificentiam, nonnullaſque picturas, quibus ejus Parietes ornantur, non me vanum hariolatorem praedices, ſi *Balneum* illud extructum fuiſſe conjectavero, vel ad *Agrippinae* uxoris Germanici, vel *Octaviae* uxoris Neronis, vel tandem ad *Domitillae* Domitiani neptis uſum, quas omnes eamdem in inſulam relegatas fuiſſe jam ſuperius vidimus: excepta tamen *Iulia* Auguſti filia; quae ibidem Imperator, ut Svetonius teſtatur, aſperrimis conditionibus clauſit, adeo ut *vini uſum, omnemque delicatiorem cultum* (39) ei ademerit.



(39) Svetor. in Aug. c. 53.